

## M i s c e l l e n .

---

### Litterarhistorisches.

---

#### De Liciniani annalium scriptoris aetate.

Dominicus Comparetti Friderico Ritschelio viro doctissimo S. P. D. Nomen tuum Heptas Bonnensis Liciniano suo praefixit; tibi proinde, quibus illius de Liciniani aetate impugnatur sententia, inscribenda erant. Tu quid haec valeant, recto iudicio tuo (cuius obscurum me remotumque habes admiratorem) aestimabis, et si quid in illis boni verique repereris, cum Heptade Bonnensi communicabis et, si lubebit, publici iuris facies; si vero nihil, quod venia dignum videatur, in iis deprehendere potueris, Vulcano quaeso tradas et virium debilitatem voluntatis gratia ignoscas. Vale.

Cum ea legerem, quae Pertzius et Heptas Bonnensis de Liciniani annalium nuper detectorum auctoris aetate disputarunt, adeo illa incerta ac dubia esse sensi, ut in iis acquiescere vix potuerim. Nec vero id indiligentiae editorum tribuendum esse intellexi, sed testimoniorum potius quae de Liciniano apud veteres exstant condicioni, utpote tam incertorum vagorumque ut inde eruendae veritatis spes propemodum abiicienda videatur. Nam primum unum eundemque esse Granium Flaccum cum Granio Liciniano, id ipsum tam infir-

mis nititur argumentis, ut aequo iure affirmari possit ac negari. Deinde autem hoc etiamsi extra dubitationem positum esse concedatur, probandum superest alterum: Licinianum nostrum eundem esse cum isto, qui inde oriatur, Gracchus Flacco Liciniano qui scripsit *de indigentibus ad Caesarem*, cuius tamen fragmenta ea sunt quae ad annales referri haud facile possint. Illud vero ut obtineant editores, annalium auctorem et ipsum Caesaris aetate vixisse probare student. At ex eo quem afferunt Liciniani loco f. IIIr etsi evidentissime colligitur post Sallustium annales suos edidisse Licinianum, tamen quod inde etiam hoc effici videmus Sallustio coaevum Licinianum fuisse, id quidem (quod ipsimet fatentur Bonnenses) argumentis comprobatur nullis. Ergo, quod dixi, incerta omnia: quapropter visum est attentiore cura circumspicere, num quod forte investigandae, quam quaerimus, aetatis vestigium supersit adhuc praetermissum. Nec perdit est opera. Praeter illa enim, quae iam ab aliis fuerant notata, duo inveni Martialis epigrammata *ad Licinianum* spectantia quibus perlectis spes affulsit fore ut tota quaestionis facies quodammodo immutaretur. Sunt ea libri primi L et LXII. Et prius quidem, ut quod ad rem nostram minus faciat, hic omittimus, alterum autem infra scripsimus quod est tale:

Verona docti syllabas amat vatis,  
 Marone felix Mantua est:  
 Censetur Apona Livio suo tellus,  
 Stellaque nec Flacco minus:  
 Apollodoro plaudit imbrifer Nilus,  
 Nasone Peligni sonant;  
 Duosque Senecas unicumque Lucanum  
 Facunda loquitur Corduba,  
 Gaudent iocosae Canio suo Gades,  
 Emerita Deciano meo:  
 Te, Liciniane, gloriabitur nostra  
 Nec me tacebit Bilbilis.

Habemus igitur Licinianum scriptorem nec vulgarem scriptorem sub Domitiano florentem secundum testimonium certissimum. Habemus insuper apertissime Licinianum, non Granium Flaccum cum Liciniano audaciore demum coniectura sociabilem: id quod in ipsius codicis memoriam quadrat ut quod maxime. Is enim certissime inscriptum habet *'Liciniani'*: de alia enim inscriptione non modo patrem et filium inter se discrepantes habemus, sed omnino ea, quae regnare solet in huiusmodi codicum foliorum titulis, aequabilitas suadet ut hallucinatum esse utrumque credamus. Atque haec ubi primum animadverti, mens erat Granium illum Flaccum Licinianum, qui scripsit *de indigitamentis ad Caesarem*, ad Domitianum Caesarem referre. Sed cum nullis tamen eam rem argumentis probare possem, quominus hoc facerem Festus impedire visus est, Granium ex Verrio Flacco maxima probabilitate citans. Sit ergo Granus Flaccus Licinianus ut volunt Sallustii aequalis, sit, quem invenimus, Licinianus Martiali coevus: utrum iam horum dicemus annales quorum tenemus fragmenta scripsisse? Sane de priore Liciniano iam vidimus nihil tradi quod tale opus eum condidisse fidem faciat. De altero idem dicendum. Nihil enim e Martiale licet colligere de librorum eius argumento atque natura. E priore epigrammate hoc tantum discimus, rebus eum forensibus operam navasse: sed id quominus ab eodem historias scriptas esse credamus minime vetat. Verum in re dubia verba illa quae sunt f. IIIr *'nam Sallustium non ut historicum scribunt sed ut oratorem legendum'* \*) aliquid prodesse poterunt. Bonnenses quidem philologi haec non Liciniani, sed epitomatoris verba esse putarunt. Et sane; cum illi duos Licinianos haud admitterent, sed de uno tantum cogitarent Sallustii aequali, cui annalium opus adscribebant, verba illa in textum recipere haud potuerunt quippe quae a Sallustii

\*) Haec Bonnenses cum restituerunt, grammaticae potius ac sensui, quam palaeographiae regulis satisfecerunt. Sed vel *scribunt* vel *aiunt* vel aliquid simile legendum est: dubitare enim haud possumus quin aliena opinio a Liciniano afferatur.

aequali scribi nullo pacto potuissent, sed ab eo tantum qui posteriorum temporum de Sallustii opere iudicia percepisset. Nunc vero quaestionis statu prorsus immutato, cum non unus adsit, sed duo Liciniani, quibus annalium opus tribui possit, sat certo aetatis discrimine inter se distincti, illa non epitomatoris verba dicemus, sed potius legitima ratiocinatione ex eo, quod Sallustio coaevus Licinianus ea scribere non poterit, a posteriore Liciniano qui sub Domitiano floruit scripta esse concludemus. Hanc vero opinionem optime firmavit Henricus Brunnius meus addita observatione sua de verbis Liciniano ab ipsis Bonnensibus tributis: *'nam et tempora reprehendit sua'*. Verisimile enim videtur Sallustio coevum dicturum fuisse: *'nam et tempora reprehendit nostra'*. Sed ad iudicia de Sallustio facta quod attinet, de Antoninorum aetate cogitare nequaquam opus est ut fecerunt Bonnenses: nam iam Martialis tempore talia extitisse huius ipsius auctoritate probare possum, apud quem haec leguntur Apophoret. CLXXXIX:

Hic erit, *ut perhibent doctorum corda virorum,*

Primus Romana Crispus in historia.

Idem demonstratur testimonio Quintiliani, qui hanc ad rem Servilii Noniani auctoritatem affert Inst. l. X. c. 1. — Haec sunt quae de Liciniano dicenda habui: qui utrum recte necne iudicaverim, videant peritiores.

Scripti Romae prid. non. Mai. a. MDCCCLVIII.